Ex Politicâ

De

Monarchiâ, Principatû, Dominatû & Tyrannide,

PRÆSIDE

MICHAELE WENDELERO,

S.S. Theol. D. & P.P.

publicè disputabit

JOHANNES KAHLEN,

Riga-Livonus,

die 29. Julii, horis matutinis, in auditorio majori.

WITTEBERGÆ

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO cIↃ IↃ CLIV.

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, ac Consultissimis,

Domino HENRICO ab ULENBROK, Hæreditario in Stuben See / Burggrabio Regio prudentissimo, Consuli Rigensium vigilantissimo, Directori Bibliothecæ primario, & Stipendiatorum Ephoro supremo;

Domino MELCHIORI FUCHS, Reip: Patriæ Consuli gravissimo, Pupterii Regii Præfecto fidelissimo, ut & Gymnasiarchæ longè meritissiō;

Domino MELCHIORI DREILINGIO, Secretario ibidem dignissimo;

DN. suis Promotoribus, Patronis & Affinibus omni observantiæ cultu honorandis, hunc discursum Academicum in debitæ observantiæ & gratitudinis documentum offert & dicat

JOHANNES Kahlen.

I. N. J.

THESES.

I. Omnium prima Reipub. divisio est in *simplicem & mistam*. Qvæ Reip. divisio tàm veteribus, qvàm recentioribus, placet. *Plato* in 3. & 6. de *legibus* & 7. de *Repub.* non tantùm consentit, mistam Rempub. dari, sed & cæteris omnibus prælatam cupit, & 3. de *legibus* stabilissimam esse demonstrat. Qvæ sententia qvoqve est *Isocratis in Areopag. Polyb.* lib. 6. & *Machiavel. 1. lib. disc. c. 2.*

II. Eandem proponit & explicat *Arist. 4. Polit. c. 9.* Concedunt & alii, *Apulejus* nimirum de Phil. in fine, *Cic.* in 3. de *leg.* & *frag.* de *Repub. Contar.* 1. de *Rep. Venet. Morus in Utopiâ, Casus 4. Polit. Turnebus* in 3. de *leg.* & *Piccol. gradu* 10. c. 9. Contra hos & multos alios disputat *Bodinus* prolixè 2. *de Rep.* c. 1. & *Junius* 1. parte q. *Politicarum*.

III. Per mistionem non intelligimus apparentem, qvæ ad simplicē Remp. aliqvid alieni leviter admiscet, non tale, aut tantum, ut simplicis reip. formam tollat; sed veram, in qvâ, qvæ mistionem patiuntur Resp. ita comparari debent, ut singulæ à Majestate suâ aliqvid remittant.

IV. Simplicem remp. vocamus, ubi summa potestas est penes unum, vel penes uno plures *conjunctim* & *indivisim*, sicut in mistâ *conjunctim* & *divisim*. Hanc subdividunt in *Monarchiam*, *Oligarchiam* & *Democratiam*. *Necessum est*, inqvit Arist. 3. Polit. c. 3. *ut vel unus, vel pauci, vel omnes imperent.*

V. Nonnulli simplicem remp. secant in *Monarchiam* & *Polycratiam*, hancq; vicissim in *Oligarchiam* & *Democratiam*. Hujus divisionis autorem volunt esse *Platonem*, qvi lib. 3. de leg. dicit, *resp. omnes gubernari vel ab uno, vel à pluribus; plures illos aut esse omnes, aut aliqvos.* Qvomodo ultimam divisionem defendat *Dn. D. Jacobus Martini* contra Dn. *Arnisæum*, eamq; priori præferat, vide lib. 2. *Polit.* c. 2. p. 130. & seq.

VI. Nos hâc vice de Monarchiâ tantùm agemus; qvæ vox sumitur vel *Chronologicè*, vel *Philosophicè*. Modo priori usurpatur pro latissimâ unius reip. jurisdictione in totum mundum, vel maximas ejus partes, seu forma regiminis sit simplex, seu mista. Hoc seusû extat. c. 2. & 7. Danielis, ubi qvatuor duntaxat Monarchiæ numerantur, scilicet Assyriorum, Persarum & Medorum, Alexandri M. & Græcorum, & denique Romanorum.

VII. Huic sententiæ accedit *Johannes Calvinus* super Daniel. 2. c. 21. scribens: *Hoc δόγμα* statuæ *extra controversiam, qvicunq; prediti sunt sano judicio, & candidè etiam cupiunt mentem Prophetæ exponere, intelligunt de qvatuor Monarchiis.* Idem paullò post: *Interea verum est, qvod dixi, nempe interpretes, qvi & mediocri judicio pollent & candore, omnes ad unum hunc locum exponere de Monarchiâ Babylonicâ, Persicâ, Græcâ & Romanâ: & Daniel ipse posteà suis verbis satis ostendit.*

VIII. In sensû Politico accipitur pro repub. unius summam potestatem habentis, seu illa sit legitima, seu illegitima, seu ordinaria, seu extraordinaria. *Philosophus lib. 3. Polit. c. 14.* tradit Monarchiæ qvinqve diversitates, non ut habeantur pro speciebus; sed ut ostensâ

in

in singulis varietate, demum illas sibi explicandas sumat, qvæ potissimæ sunt.

IX. Primus Monarchiæ modus est κατὰ νόμον, h. e. *secundum legem*, qvando imperans in omnibus est subjectus legibus. Hunc Monarcham negat verum regem esse; qvia, ut ait, οὐκ ἔχει κυρίαν πάντων, hoc est, *non habet potestatem omnium*: applicatq; ibidem ad Lacedæmoniorum Rempublicam. Ἐν τῇ, inqvit, Λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμον, hoc est, *in Lacedæmoniorum rep. videtur rex esse maximè secundum leges*. Nam Laconici Reges domi qvidem summam rerum potestatem non obtinebant; sed in bello duces atq; imperatores erant exercitûs. Iisdem sacra etiam permittebantur.

X. Secundum Monarchiæ modum tribuit Barbaris, qvòd eo maximè fuerint usi. Fuit autem hæc Barbarorum Monarchia nihil aliud, qvàm δεσποτικὴ ἐν γένεσι καὶ κατὰ νόμον seu, ut *Arnisæus* habet, status inter regnum & Tyrannidem ambiguus; qvemqve *dominatum* vocare solent.

XI. Ut enim dominus servos non intendit pessundare, cùm sciat, servorũ perniciem tracturam secum totius domûs ruinam, nec tamen eos primariâ intentione curat, sed qvia aliter ipse salvus esse neqvit: ita domin⁹ nec evertit subditos (qvod est Tyrannorum) nec eorum salutem primam habet (qvod est regum) sed dum familiam suam intuetur, eamq; subsistere aliter non posse advertit, consequenter deflectit curam suam secundariò ad subditos, à qvibus propterea redamatur, cùm barbarorum talem naturam dicat esse, *Arist. 3. Polit. c. 10.* ut aliter commodè vivere non possint.

XII. Accedit, qvòd talis Monarcha, cùm barbarâ libertatem non guſtârint, ignorantiâ bonorum ejus contineat homines in officio. Ita Lacon qvidam reſpondebat Perſæ, hortanti, ut regi potiùs cum ſpe divitiarum ſerviat, qvàm pauper in libertate vivat: *Tu*, inqvit, *ſi dulcedinem libertatis deguſtaſſes, aliter ſentires: nunc qvia liber vivere neſciſti, reliqvis vitæ tuæ conſimilia ſvades.*

XIII. Dominum â rege & principe diſtinguit *Ariſt. 3. Polit. c. 10.* cùm & Plutarchus teſtetur, Ariſtotelem ſolitum Alexandrum admonere, ut Græcos paternâ pietate, barbaros autē dominandi poteſtate in officio contineret. Talis dominus erat olim rex Perſarum, de qvo refert Plutarchus, qvòd omnes pro ſervis habeat, exceptâ uxore. Hinc Perſæ â dedititiis ſolebant petere terram & aqvam, ut ſe bonorum dominos indicarent.

XIV. Talis dominus hodiè eſt Turca, cujus legibus caveri memorat *Bodinus* 2. de rep. c. 2. ne qvis omninò dominatum affectet, aut ullius prædii dominum ſe dicat. Qvin etiam familiarum dominium Imperatori aſcribit *Menav. lib. 4. c. 2.* dum ait, per totam Græciam, Boſniam, Walachiam, ex qvâvis familiâ tertium adoptari filium in militiam Janizerorum.

XV. Talis fuit olim Sultanus Mammelucorum in Ægypto. Eandem ſeveritatem imitatur M. Chamus Tartarorum, qvi, ut hiſtorici referunt, omnium dominus eſt, & bona ſuorum ſubditorum decimat. Qvoscunqve qvandocunq; vult, pro arbitrio ſuo educit in bellum, aut ad alia uſurpat officia.

XVI. Chinenſes & Muſcovitæ, Tartaris vicini, ſub ſimili dominatu vivunt. Rex Chinæ ſolus eſt dominus

minus in ſuo regno, ubi nomen ducum & comitum prorſus ignoratur. Is ſolus diſtribuit ſubditis bona, qvantum cuiqve vult. Rex Siannenſis dominatum ſequitur. Eandem dominandi rationem apud Narſingenſes & Inſulanos obſervari indicat hiſtoria Indica, adeò ut tota ferè Aſia hodiè regatur à dominis, rectèqve dixerit *Ariſt.* 3. *Polit.* 1. 10. barbaris placere dominatum.

XVII. Etiam in Africâ Abyſſinorum rex dominicè imperat. Nec mitiùs ullo modo imperat Scriphius in regnis Marocco & Feſſæ. Veriſimile eſt, regem Adelenſium ad modum Turcarum imperare. De reliqvis ultra montes Lunæ regibus pauca nos docent navigationes Hiſpanicæ, niſi qvòd reges, ut Deos, obſervari ſcribant. Solus rex regni Borno videtur ad regiam gubernationem propiùs accedere, cùm ſubditis bona omninò propria relinqvat.

XIIX. In Europâ hodie, præter Turcam & Muſcovitam, dominandi ſeveritas fermè expiravit. Videtur Attila in Germaniam invexiſſe barbarum dominandi modum; qvippe qvem poſt pugnam Catholonicam anno 450. Iſenachi juramentum fidelitatis ſumſiſſe à Cattis & Thyrigetis legimus. Mox Odoacer, qvem Rugorum regem vocant, atq; ex Barbienſi tractû ad Albim excurriſſe putant, occupatâ Italiâ, in Capitolio fecit ſe totius Italiæ dominum proclamari. Ejus veſtigia ſecuti Longobardi, & ipſi ex Germaniâ oriundi, dominatum in Italiâ complerunt.

XIX. Tertius ordo Monarchiarum eſt extraordinarius, qvando creatur magiſtratus cum ſummâ poteſtate extra ordinem. Græci ejusmodi imperantes vocabant αἰσυμνήτας. Qvam vocem *Camerarius* 3

Polit.

Polit. c.10. malè interpretatur per *consules, judices & præfectos.* Nam Aesymnetia, teste *Aristotele*, apud Græcos erat qvædam regni species, cùm eligeretur qvasi qvidam Tyrannus voluntate subditorum, qvi magistratum illum qvandoqve per omnem vitam, qvandoqve ad certum tempus, aut ad certum negotium expediendum, gerebat.

XX. Vivum Aesymnetarum exemplum licet intueri in dictatoribus Romanorum, qvi sine provocatione cum summo imperio creabantur. Sic M. Fulvium, & mox T. Manlium creatos fuisse contra seditiones plebis *Livius lib. 6.* testatur. Cùmqve tribuni paterentur ad se provocari à dictaturâ, Papyrium acriter objurgasse tribunos, ne jus dictaturæ, qvod sine provocatione esset, suâ intercessione extinguerent, ex eodem *Livii lib. 6.* habemus.

XXI. Hinc seqvitur, Aesymnetas summam tenuisse potestatem, sed ad tempus tantùm: per qvòd à veris Monarchis distinguuntur. Differt Aesymnetia à barbaricâ Monarchiâ, qvòd non sit κατὰ γένος, h.e. hæreditaria, seu per successionem, sed per electionem, qvòdqve hoc imperium plerunqve non sit perpetuum.

XXII. Qvartum genus vocat *Aristoteles* Heroicum. ἀπὸ τῶν ἡρώων: qvo nomine Lacones, ut Philosophus *lib. 7. c. 7.* habet, virum aliqvem vehementer excellentem appellare solebant. Heros autem ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, id est, ab *amore*, qvòd tales imperantes populi præ singulari amore sibi præfecerint, propter divinas & eminentissimas virtutes.

XXIII. Heroicum autem regnum priscis temporibus erat, qvod à majoribus acceptum filii gerebant

secun-

secundum leges, populo ultrò iis, propter parentum merita, sese submittente. Indè liqvet, reges heroicos diversam à cæteris Monarchiam non constituere, sed naturalem qvendam ad regnandum instinctum cæteris regibus superaddere.

XXIV. Ultimus modus veram Monarchiam, adeoqve etiam verum regem constituit. In hâc repub. Princeps πάντα κ᾽ τὴν ἑαυτῦ βούλησιν πράτ͂ει, hoc est, omnia secundum suam voluntatem facit. Fit hoc, qvando Monarcha subditis, sua cuiq; relinqvens bona propria, secundum Dei, naturæ, suasqve ex instituto & æqvo conditas leges, imperat. Hic imperandi modus similis est imperio Oeconomico, in qvo paterfamilias omnium rerum plenissimam potestatem habet, omniaqve ad familiæ utilitatem administrat.

XXV. Ex qvo colligitur, qvòd ad hunc Monarchã constituendum requiratur, ut ex suâ voluntate omnia agat, omnibusq; imperare possit; utq; à cæteris imperantibus discriminetur per virtutes. Virtutes autẽ intelligimus non qvaslibet, sed eas tantùm, qvæ regi, ut regi, ineſſe debent. Has regis virtutes desumimus à regis officio, qvod publicum est, qvodq; in regendis subditis consistit.

XXVI. Peccant ergò omnes fermè rerum Politicarũ scriptores, qvi per virtutes intelligunt omnes virtutes Ethicas. Hæ namq; omnibus hominibus competere debent, qvibus rex, qvatenus homo, nõ qvatenus rex, operam navare debet. Itaq; non audiendus est Nicolaus Papa, qvi Lotharium, propter adulterium cum Gualdradâ commissum, verum regem esse negavit.

XXVII. Nec virtus, regem constituens, esse poterit pietas. Nam hæc amplectenda duci est, qvatenus Christianus est; neqve ad officium Politici, sed Theologi pertinet. Nam aliàs sequeretur, Cyrum, M. Alexandrum, Trajanum aliosqve non fuisse reges. Hi enim non solùm homicidiis & scortationibus se conspurcârunt, sed qvoqve verâ pietate destituti fuerunt.

XXVIII. Iccircò cùm primarium regis officium sit, subditis ita imperare, ut pater suis liberis; inde liqvet, primam principis virtutem esse, omnes suas actiones ad subditorum referre salutem. Pater enim in id incumbit sedulò, ut liberis sit benè, qvamvis sibi malè.

XXIX. Hoc suum officium rex exerceat non cum severitate, sed clementiâ. *Errat* namqve, ut *Terentius* in *Adelphis* habet, *qvi imperium credit gravius esse, aut stabilius, vi qvod fit, qvàm illud, qvod amicitia adjungitur.* Non autem clementia erit extendenda ad omnes, sed tantùm ad bonos. Nam qvi clementiam in omnibus affectat, eundem Philosophus *lib. 4. Ethic.* ad reip. administrationem ineptum putat.

XXX. Deinde bonus princeps summè nitatur, ut reliqvos virtute superet. Rex enim talis est, ut minima qvoqve vitia pro summis ostendat. Magistratû præterea præeunte, leges in civitate citò & facilè observari solent. Tandem ad principis virtutis referimus autoritatem. Hâc enim imperantes subditis opinionem de sese magnificè sentiendi injiciunt, eamqve salutis esse tutelam, *Curtius lib. 10.* dicit.

XXI. Num

XXXI. Num autem tales principes hodiè habeamus, meritò qværimus? Monarchiam esse simplicisimam, & matrem cæterarum rerumpub. testatur *Plato 3. de legibus.* Eandem origine primam dixit *Aristoteles 1. Polit. c. 2. 3.* & alibi pasim. Idem fatetur *Justinus lib. 1. Principio rerum*, ait, *gentium nationumqve imperium penes reges erat, qvos ad fastigium huius majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur. Arbitria principum pro legibus erant.*

XXXII. Eandem sententiam *Augustinus lib. 4. de civitate DEI & Vives in Com. probant.* Non dissentit *Philippus lib. 1. Chronic. p. 29.* in editione *Aureliæ Allobrogum* excusâ. *Cùm initiò*, inqvit, *fuissent paterna imperia, & nulla familia fontes reciperet, postea cùm multitudo crevisset, & plures essent mali, & fontes haberent socios & receptus, DEUS hoc novo consilio muniit societatem, videlicet excitato duce, qvi armis & præsidiis coerceret populos, ne latrocinia exercerent, & ut ad judicia & pœnas vi traherentur.*

XXXIII. In reliqvis Monarchiis [scilicet in sensu Chronologico] plures absolutæ potestatis principes fuisse, audacter asserimus. Cæsar Augustus aliiqve Romanorum Imperatores, propriè sic dicti, extiterunt Monarchæ. Nam per factiones Syllæ & Marii, Pompeji & Cæsaris populo pedetentim adimebatur potestas. Qvamvis nonnulli, ad externam formam intenti, credebant, primorum Imperatorum majestatem non fuisse regiam, vel absolutam, cùm principes tantùm vocarentur, non reges; tamen, licet regios titulos repulerint, istâ simulatâ modestiâ verè jus & potestatem omnem ad se trahebant. Principes enim

nim non æstimamus ex nomine, sed ex summâ unius potestate.

XXXIV. De posterioribus verò, item de Græcis, Francis & primis Germanorum imperatoribus dubium non esse, qvin Monarchicè imperârint, *Aristoteles* aliiqve innumeri fatentur. Nostris autem temporibus vel rarò, vel nunqvam inveniuntur. Nam in tantis turbis tamqve crebris mutationibus actionum humanarum, vix potest adeò simplex & inconfusa respub. reperiri, in qvâ non sit aliqvid alieni admistum.

XXXV. Discrimine, qvod suprà dedimus, inter Monarchiarum diversitates observato, facilè conciliari poterit controversia, qvæ de hodierno Germanorum imperio inter Philosophos & nonnullos JCtos fuit orta. Nam Philosophi & qvi cum his faciunt Jurisperiti, Principem secundum voluntatem suam in omnibus imperantem intelligunt. Talem autem non esse hodiernum imperatorem, cùm etiam ii, qvi hâc in parte adversantur nobis, utrâqve manû largiantur; ideoqve necessariò sequitur, vel unum ex anteà enumeratis Monarchiis modum esse eligendum, vel novum planè excogitandum.

XXXVI. Ut autem nos ultimum cuivis libenter permittimus; ita contrariam sententiam defendentes prius nobis concedant necesse est. Nam loqvimur de nostri imperii statû ex principiis nostris, ut possumus, non ut volumus. Qvibus imperii nostri jura magis cognita sunt, rectiùs judicare possunt; qvorum sententiæ & nos libenter accedemus.

XXXVII. Deindè differentiâ, qvæ est inter Monarchiam Chronologicè sumtam, & inter Monarchiam

chiam illam, quam Politici explicant, observatâ, possumus respondere, quod ex 7. *Danielis* ad infringendam de statû nostræ reipub. misto sententiam afferunt. Quod discrimen cùm non attenderet *Clariss. Nicolaus Petræus*, *Danus*, rempub. Romano-Germanorum statuit purè Monarchicam.

XXXVIII. *Non lubet*, inqvit *c. 6. Polit. p. 45. nec litteram, mixtam dicere, qvòd Monarchia adeò emineat, ut ex admistocratiæ temperaturâ nulla vera mixtio resultet, sed tantùm conditiones qvædam alteri formæ superaddantur.* Idem paullò pòst p. 100. *Sacra pagina docet, qvartam Monarchiam duraturam ad finem mundi. Quidqvid ergò adversarii obtendunt: per vaticinium, qvod fallere nescit, Monarchia Monarchia manet.*

XXXIX. Ultima Dn. *Petræi* verba, in sensû Chronologico accepta, ut libentes concedimus: ita eadem, Philosophicè sumta, strenuè negamus. Non enim sequitur: *Qvarta Monarchia manet usqve ad finem mundi: Ergò hodiernus Imperator est Monarcha, absolutè dictus.* Ratio, cur nulla in majori propositione sit consequentia, ex suprà dictis constat.

XL. Eidem subjiciendus censuræ erit *Dn. D. Dannenhauerus*, qvi *diss. Polit. 1.* ex secundo *Danielis* capite porismaticè infert, imperium Romano-Germanicum esse Monarchicum, adeoqve imperatorem esse Monarcham, scilicet talem, qvi absolutè & secundum suam voluntatem imperet.

XLI. Qvod ipsum ex refutatione, qvam citato loco contra *Bodinum* instituit prolixè, constat. *Id qvod*, inqvit *Dannenhauerus, negat Bodinus Germano-Maslyx lib. 2. de repub. c. 6.* Sed qvi studio tantùm tumultuario legit, statim deprehendit, Bodino sermonem esse

de tali Monarchiâ, qvatenus in eâdem consistit tota reipub. summa. Nam disputat ibidem de statu Germanorum, an sit Monarchic?, an Aristocraticus? Ergò accipit hos terminos in eo sensû, in qvo Philosophi iisdem utuntur. Cæterorum argumentorum refutationem scientes præterimus.

XLII. A rege longissimè abit Tyrannus, omnium imperantium deterrimus, cùm optimo principi *lib. 4. Polit. c. 2.* opponatur. Tyrannos qvondam vocabant, qvi summam perpetuamqve in liberos cives obtinebant potestatem. Sed qvia sæpiùs abutebantur imperio, nomen unà cum re abiit in odium. Nos hic in eodem sumimus significatû, qvem huic voci hodiernus imponit usus.

XLIII. Ut ergò regem ex publico officio æstimamus: ita etiam Tyrannum æstimemus necesse est. Itaqve Tyrannus erit, qvi remp. negligit subvertitqve, habitâ sui tantùm commodi ratione. Regis enim officiũ est, suas deflectere curas primariò ad subditos.

XLIV. Reipub. interitum seqvuntur cætera Tyrannorum vitia. Nam qvando summam potestatem in se transferre non possunt, qvòd leges & viri prudentes impedimento sint, & hos & illas è medio tollunt. Qvod consilium Tyranno suggerit *Aristoteles 3. Polit. c. 13. & Machiavellus in libro de principe* pessimè novo principi. Sylla qvietam habuisset rempub. si, ut Cæsar paullò pòst fecit, non aluisset in repub. homicidas suos. Sed neqve tantus Tyrannorum furor Tyrannidem sistit salvam. Auget namqve subditorum odium, per qvæ pleriqve Tyrannorum cadunt.

XLV. Tyrannicum imperium nascitur vel ex regiâ potestate, vel ex majori aliqvo magistratû ac dignita-

gnitate. Ex majori magistratu & dignitate nata Tyrannis triplex apud Philosophum datur. Prima est, qvando Demagogi fiunt Tyranni. Secundus modus itidem Democratiæ peculiaris planè est, cùm qvis, summum imperium nactus, Tyrannidem invadit. Syllam ex dictatûrâ Tyrannidem fecisse *Cicero in 1. Philip.* indicat. Idem *Plutarchi in Cæsare* de dictaturâ Cæsaris judicium est, qvòd ultra terminum prorogata fuerit. Tertius modus est proprius Obligarchiæ, qvo qvis, majorem tenens magistratum, ex Oligarchia Tyrannidem facit.

XLVI. Hinc Tyrannus est vel *in titulo*, vel *in exercitio*, vel *in titulo atq; exercitio simul*. Tyrannus in titulo est, qvi alienam potestatem in se solum injuriâ transfert. Sic Cæsar & Augustus malo titulo & nomine regis suppresso ad se trahebant, qvod erat publicum. Tyrannum in exercitio vocant, qvi qvidem justè constitutus est princeps, sed tamen imperium tyrannicè administrat. Ubi utraqve Tyrannis concurrit, omnium pessima prodit.

XLVII. Qvamvis autem ethnici Philosophi dicant passim, non esse victimam ullâ Diis gratiorem, qvàm Tyrannũ; attamen nõ licet subditis arma capere contra legitimos & Tyrannicos principes, aut eos exuere regno atqve occidere. Nam tales etiam post Tyrannidem manent. Nec Tyrannus qvoad titulum interfici poterit â qvâcunqve privatâ personâ, qvæ sit membrum reip. Tyrannidem ferentis. Nam ut *Augustinus lib. 1. de civitate* absolutè dicit, sine publicâ administratione non licet aliqvem occidere.

XLIIX. Iccircò graviter hallucinatur *Althusius*, cap. 38. *Polit.* n. 68. docens, Tyranno qvemlibet bonum

num civem & patriæ amantem resistere posse & debere. Eandem sententiam *Bodinus lib. 1. de repub. c.5. & Reinking lib.2. class.1. de regimine seculari S. imperii c.5.* magni nominis Politici, defendunt, eamqve mordicùs.

XLIX. His Politicis non sunt meliores *Suarezius & Emanuel Sua*, Jesuitæ. Ille enim non tantùm *defens. 7. c.6. sect.7.* docet, Tyrannum, qvi titulo, seu occupatione talis est interfici posse à qvâcunqve privatâ personâ, qvæ est membrum reipub. Tyrannide oppressæ; sed qvoqve *def.1. cap.4. sect.16.* mordicitus defendit, etiam administratione Tyrannum interficiendum esse. Hic verò in *voce Tyrannus* aliiqve eousqve progrediuntur, ut, subditos ad id teneri, verbis manifestis scribant. Tandem concludunt, multò magis Tyrannum, qvi titulo atqve exercitio simul talis est, licebit occidere, illiusqve injustissimum iugum, si aliter fortè fieri non possit, morte ipsius excutere. Idem dicunt suadere *Aristotelem lib.3. Politic. c.7.* Qvando ibidem ait, *honorem maximum debere non illi, qvi furem, sed qvi Tyrannum interficit.*

L. Tantum de omnibus Monarchiæ modis. Restat, ut dicamus, in qvibus conveniant, & qvomodo vicissim differant. Utrumqve enim ad præsentis materiæ explicationem non parum facit.

LI. Omnibus Monarchiis commune est, qvòd horum imperium inter duos dividi non possit, cùm aliter non constet Monarchiæ ratio, qvâm si unus, à qvo reliqvi omnes reguntur, præsideat. Monarchiam esse, & tamen plures uno imperare, contradictionem implicat.

LII. Po-

LII. Poteſtas autem Monarcharum omnium non eſt eadem. Monarcha namqve, qvi ſecundum leges imperat, poteſtatem regiam nullam habet. Aeſymnetæ tenuerunt eqvidem ſummam poteſtatem, ſed ad tempus tantùm. Cæteri non ſolùm ſummâ abſolutâqve, ſed perpetuâ etiam poteſtate gaudent. Hæc autem ubi eſt, ibi eſt majeſtas, ſeu omnia jura, majeſtatem conſtituentia. Nam majeſtas ſecundùm Philoſophum *3. Polit. c. 6. & 7.* nihil aliud eſt, qvàm ſumma poteſtas ubique.

LIII. Itaqve qvilibet horum omnes, ex qvibus majeſtas conſtat, partes poſſidet, utpote jus ferendi, mutandi, abrogandi & interpretandi leges, *4. Polit. cap. 14.* extremam provocationem, ibidem; poteſtatem inſtituendi magiſtratum, jus exigendi tributum & vectigalia, jus tractandorum armorum, & deniqve poteſtatem conferendi dignitatem, convocandi comitia & curam circa religionem. Nam hæc omnia ſunt ex eorum numero, ſine qvibus civitas eſſe non poteſt.

LIV. Qvamvis autem Monarchæ, qvos diximus, eandem habeant poteſtatem; hâc tamen diverſimodè utuntur. Qvi ſubditis imperat, ut eorum commodum primariò attendat, ſecundariò ſuum, Philoſophus *regem* vocat, *Virgilius* patrem, *Homerus* paſtorem populi: contrà qvi ita reip. præeſt, ut, neglectâ ſubditorum ſalute, ſuis tantùm ſtudeat rebus, Tyrannus nuncupatur: qvi verò rempub. ſecundariò curat, & ſuam ſuorumqve ſalutem habet primam, dominus appellari conſuevit.

LV. Indè manifeſtum eſt, qvòd omnes conveniant eſſentiâ, & ſaltem accidentaliter differant, hoc

est, respectu finis reipub. quem intendunt. Hinc instar potismatis inferimus, verum summæ potestatis usum, seu bonam reipub. administrationem, constituere regem, eiusdem verò abusum, seu reipub. eversionem, Tyrannum.

Adiectanea.

I. Spurii ad regni gubernacula non facilè admitti debent. Nonnulli hîc excipiunt regnum, bello partum. *Petræus parte gen. Enchiridii Politici c. 3. aph. 13. & Heiderus Polit. cap. 6.*

II. Tyranni potestas est à DEO, non tamen Tyrannis, nisi ut malum pœnæ. *Christianus Matthias Syst. Polit. lib. 3. exercit. 3. & Reinking de regimine seculari & Eccles. lib. 1. class. 1. cap. 3.* Ita non hi tantùm, sed alii qvoqve respondent. Sunt qvi inter veram & spuriam, seu vi raptam, potestatem distinguunt. Qvæ responsio optimis Grammaticis placet, cùm τὸ ὤν, ἐσσα, ὄν *Rom. 13. vers. 1.* significationem nominis *verus, vera, verum* obtineat.

III. Imperium nostrum Romano-Germanicũ est qvarta & ultima Monarchia Danielis. *Vide eruditum scriptum de hâc controversiâ â Dn. M. Martino Titio editum.* Non ergò sunt qvinqve Monarchiæ, ut nonnulli histori-

ci

ci cum Calviniſtis docent, aut ſex, vel plures, ut non nemo in ſcripto, non ita pridem edito, contendit.

IV. Qvarta Monarchia aliqvot eaſdemq; eſſentiales mutationes ſuſtinuit. *Primos imperatores jure Monarchas vocare poſſumus. Nam qvamvis regios titulos repulerint, iſtâ tamen ſimulatâ modeſtiâ jus & poteſtatem omnem ad ſe trahebant. Ubi autem jus & poteſtas eſt, ibi eſt regia dignitas. Regem enim non ex nomine æſtimamus, ſed ex ſummâ poteſtate. De Græcis, Francis & primis Germanorum imperatoribus dubium non eſt, qvin Monarchicè imperârint. Qvo autem tempore Monarchia ſimplex temperari cœperit, non conſtat. Hodie videtur aliqvid poteſtatis tranſiiſſe ad principes. Senſim enim & electionem & jura imperatoria in ſe tranſtulerunt principes, donec & propria ſibi facerent. Cætera qvoqve jura majeſtatis ex parte tranſierunt ad principes, inter qvæ poteſtas ferendi aut abrogandi leges caput eſt. Albertus Elector, Archiepiſcopus Moguntinenſis & Marchio Brandenburgenſis in collegio Electorum anno 1519. imperium Germanorum contendunt eſſe Ariſtocraticum.* Vide *Schleidanum lib. 5.* Eandem ſententiam ubiqve propugnat *Bodinus* & cum *Bodino Dn. D. Jacobus Martini lib. 3. Politic. p. 1063.*

V. Imperium noſtrum Romano-Germanicum eſt Monarchicum, Ariſtocratiâ tem-

peratum. Num verò Monarchia, num Aristocratia emineat, inter autores non convenit. *Arnisæus* & *Limnæus*, viri celeberrimi, Aristocratiam præponderare autumant. Cõtrà *Carpzovius*, *Libenthalius* atqve alii Monarchiam prævalere contendunt.

VI, Respublica Polonorum Aristocratica est. *Nam constat, qvòd nobilitas potiora detraxerit regiæ potestati. Sic irrita fiunt, quæcunqve à rege, sine senatus consensu, decernuntur.* Cromer. lib. 13. *Legum qvoqve condendarum potestate reges seipsos privant, cùm nihil sè contra leges, jura privilegiaqve regni molituros jurant. Extrema insuper provocatio non ad regem, sed senatum, seu regni conventum, dirigitur;* ut lib. 4. stat. Polon. c. 27. l. 2. legere est. *Jus tandem ærarii & cudendæ monetæ in thesaurarium translatum est.*

VII. Regnum Gallorum Monarchicum est. *Hanc thesin non pauci cum Besoldo Pol. lib. 1. c. 5. n. 16. & Bodino 3. de repub. c. 1. defendunt, hancqve absolutam Monarchiam post ducatus Galliæ coronæ unitos, postqve senatum Francorum in judicum curiam relegatum cœpisse opinantur.*

VIII. Regnum Anglorum Monarchicum Aristocratiâ temperatum leviter fuit, *Non qvis jam sit, sed qvalis fuerit status, qværitur.* Dicimus statum verè mistum non fuisse, qvòd jura Majestatica non fuerint divisa, & singulis regni statibus

ribus tradita. Nec purè *Monarchicum est, qvòd rex juraverit, leges patrias minimè se violaturum. Hinc seqvitur, qvòd de Aristocratiâ aliqvid habuerit adspergînis.* Consule Bodinum 1. de repub. cap. 8. & Casum 3. Polit. cap. 5.

IX. Regnum Danorum Monarchicum Aristocraticè temperatum creditur. *Schönbornerus* Pol. lib. 1. c. 16. aliiqve existimant, *regis præeminentiam esse majorem, qvàm ut à senatoribus regni vel minui vel vinci possit.*

X. Respublica Venetorum Aristocratica est. *Nam ducis potestas ne unius qvidem assis æstimatur; & plebs à consiliis eliminata penitus est. Qvatuor præterea summæ potestatis emolumenta, creatio scilicet magistratuum, de bello & pace deliberatio legumlatio & ultima provocatio sunt penes magnum consilium.* Ergò legitimè contendimus, qvòd Respublica Venetorum, Aristocratica sit.

XI. Respublica veterum Romanorum essentialiter mutata fuit. Nam sub *regibus floruit Monarchia, cùm omnia*, ut Pompon. lib. 2. de orig. jur. scribit, *à manu regis fuerint gubernata. Ejectis regibus jus majestatis recidit ad consules. Consules* enim, teste Livio lib. 2., *omnia jura, omnia insignia tenuerunt. Sed statim Publicola communicavit potestatem populo. Hinc natæ sunt conciones tribunorum plebis in patres, & patrum in tribunos, adeò ut inter Aristocratiam & Democratiam respublica videretur ambigere,*

donec in puram Democratiam degeneraret. Tandem per factiones Syllæ & Marii, Pompeji & Cæsaris in Monarchiam vicissim abiit.

Quæritur, imperio cuinam siet optima forma;
An quando proceres, sive Monarcha præest?
Rem si parentum video pariterq; regentis;
Istam, Romano quæ est, reor, imperio:
In quo quando præest Cæsar, moderantur ἀριστοι:
Imperium dici liberum eopse meret.
Tu dignum ingenio tractans hoc thema, CAHLENE,
Rebus te magnis aptum aliquando doces.

Scr. spe plenus ὁμοχωρίῳ
boni commatis

M. EBERHARDUS Müller/
Facult. Phil. Adjunctus.

Politissimo Dn. JOHANNI KAHLEN
Affini desideratissimo,
De Monocratia publicitus dissertaturo.

Sic exseras, sic detegas tandem tuæ,
Amice, vires indolis!
Prodest nihil semper latens peritia,
Thesaurus & reconditus.

Ex alma Argentoratensi
Academia transmisit.

VINCENTIUS Fuchs/

Hunc

HUnc nuncupabo neutiqvam fortem virum,
Qui ſubtrahit ſe publicis negotiis,
Privata nec curat, levi in ſilentio
Molliqve tranſigens ſuam vitam otio:
Qui non probe multis malis exercitus
Nec durioris paſſus adverſarii
Sit impetum: Sed ille talis audiet,
Qvem delicata molliunt nec atterunt,
Quem non egeſtas dura, nec ſcverior
Sors, aut minæ tyrannicæ à bono abſtrahunt.
Præclarus ille qvippe victor omnium eſt,
Mentem malam qvi vincit, affectus ſuos
Qui fortiori ſubjugat manu ſibi.
Perdocte KAHLEN, ſemitam cum dextere
Virtutis urſeris, virosqve nominis
Magni ſecutus, & plebeja negligens
Excelſa tantum pectori ineoqvas tuo.
Non te moveri paſſus es mundi jocis,
Sudore nullo fractus es, ſed fortior
Audentiorqve mens erat perrumpere,
Quo durior labor fuit. Tu Rex tui
Sic te regebas, præfici ut multis qveas.
Laudem mereris jure næ hinc tu bonam,
Et dignus es nunc ad ſuprema emergere.

De

De filio tanto Patri congratulor,
Et Patriæ meæ benigne ex intimis
Præcordiis, qvod nacta civem tam bonum.
Rogoqve Numen, cuncta qvod regit suo
Nutu, reducat ad tuos te sospitem,
Lætumqve, qvo prodesse plurimis qveas.

Πολιτικωτάτῳ Dn. JOHANNI KAHLEN
DEO, Musis mihiq; charissimo capiti,
jamjam ad natale solum remeaturus tristissimo reliqvi animo commensalis,
hactenus-contubernalis.

M. Herbertus Ulrici.

FINIS.